

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 5, Liber 1: De fortitudine et pertinentibus ad eam: sub his titulis.

Commented [c1]: fol.116vb

#### De fortitudine animi: Rubrica i

Iob hystoria capitulo i. Iob nunciata sibi morte omnium suorum septem filiorum et trium filiarum et amissione omnium suorum bonorum: dixit: Nudus egressus sum de vtero matris mee: et nudus reuertar illuc. dominus dedit dominus abstulit: sicut domino placuit ita factum est. Sit nomen domini benedictum.

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Secura mens quasi iuge conuiuuium. 24. capitulo. Uir sapiens fortis est. et vir doctus robustus et validus. 31. capitulo et finali. Mulierem fortem quis inueniet.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 5. scilicet de pittaco. Pittacus vnus de septem sapientibus dicebat prudentium virorum esse: priusquam fiant difficilia premeditari ne fiant: fortium vero facta bene disponere. Capitulo 7. scilicet de cleobolo. De pauperatus vero humiliteris. Mucrones fortune viriliter scito ferre. 15. capitulo scilicet de anaxagora. Anaxagoras ad anxiantem quod in terra extranea moreretur: vndique inquit similis est descensus ad inferos. 17. capitulo scilicet de socrate. Socrates ad dicentem: morte athenienses condemnauerunt te: illos etiam ait natura.

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo 2. Assueti contempnere terribilia et sustinere ipsa efficimur fortes: et effecti maxime poterimus sustinere terribilia. Qui sustinet pericula et gaudet fortis est: qui autem tristatur timidus. 6. capitulo. Circa timores et audacias fortitudo medietas est. 7. capitulo. Fortitudo medietas est circa anxibilia et terribilia. 8. capitulo. In sustinendo tristitiam fortes dicuntur. Difficilius est a tristitia sustinere quam a delectationibus abstinere. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 4. Si aliquem valde facias impavidum: quod deos non timeat: non fortis sed insanus est. Si autem timentem omnia timidus. Fortis ergo erit non qui timet omnia: neque qui nihil. Mensurati timores augent fortitudinem. 32. capitulo. Si quis non timet tonitrua aut corruscationes: aut aliud quod super hominem terribilium est: non fortis est: sed insanus. 36. capitulo. Non vtique omnino absque passione et motu fit fortitudo. Idem rethoricorum libro i. capitulo 13. Fortitudo propter quam singuli actiui sunt bonorum operum in periculis: et vt lex precipit: et obsequentes legi. timiditas autem contrarium. Idem polyticorum libro 7. capitulo 10. Utetur studiosius vir et paupertate et egritudine: et aliis prauis fortuitis bene.

Commented [CN2]: fol.117ra ["120ra"]

Terentius in hecyrta capitulo 15. Istuc est sapere vbicunque opus sit animum possis flectere. In phormione capitulo 6. Fortes fortuna adiuuat.

Oratius in sermonibus libro 2. sermone 2. Uiuite fortes / Fortiaque aduersis opponite pectora rebus.

Tullius de officiis libro i. capitulo 38. Fortis animi et constantis est: non perturbari in rebus asperis: nec tumultuatum de gradu deiici: sed prestantis animi vti consilio: nec a ratione

discedere. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpassio. Fortitudinis partes sunt: Magnificentia: Fidentia: Patientia: Perseuerantia. Idem rethoricorum artis noue libro 3. capitulo 2. Fortitudo est rerum magnarum appetitio: et rerum humilium contemptio: et laboris cum vtilitatis ratione perpassio. Libro 5. capitulo 10. Ei non multum potest obesse fortuna qui sibi firmius in virtute quam in casu presidium collocauit. 21. capitulo. Fortitudo contemptio est laboris et periculi cum ratione vtilitatis et compensatione commodorum. Idem de oratore libro 2. Magna laus et admirabilis videri solet tullisse casus sapienter aduersos: non fractum esse fortuna: retinuisse in rebus asperis dignitatem. Idem tusculanarum questionum libro i. in fine. Teneamus vt nihil censeamus esse malum quod sit a natura datum omnibus. Libro 2. Qui id quod vitari non potest metuit: is viuere animo quieto nullo modo potest. Qui montem non timet magnum: is presidium sibi ad beatam vitam comparat. Nunquam ingemiscit vir fortis et sapiens nisi forte vt se incendat ad firmitatem.

Ouidius de fastis libro i. Omne solum forti patria est: vt piscibus equor. / Ut volucris vacuo quicquid in orbe patet.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 12. Uirtus in infirmitate perficitur.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Quemcunque fortem videris: miserum neges. In medea capitulo 3. Fortuna fortes metuit: ignauos premit. / Fortuna opes auferre: non animum potest. Idem epistolarum ad lucillum libro 5. capitulo i. Puto fortiorem esse quam in ipsa morte est quam qui circa mortem. mors enim admota etiam imperitis animum dedit non vitandi ineuitabilia. Libro 7. capitulo 8. Da operam nequid vnquam inuitus facias: quicquid futurum est necesse est futurum: repugnantiam volente necessitas non est. Libro 13. epistola 7. et penultima. Sapiens vincit virtutem fortunam. Libro 14. epistola 2. Non affligitur sapiens liberorum amissione: non amicorum. eodem enim animo fert illorum mortem quo suam expectat. Libro 17. epistola 4. et penultima. Iniquum est queri de eo quod vni accidit et omnibus restat. Idem de clementia. Decet magnanimitas quemlibet mortalem: etiam illum infra quem nihil est positum. quid enim maius aut fortius quam malam fortunam recondere. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Nec secunda sapientem euehunt: nec aduersa demittunt. Idem de consolatione ad paulinum. Quid tam humile ac mirabile est quam consumendum se dolori committere. Idem de tranquillitate animi. Nihil tam acerbum est in quo non equus animus solatium inueniat. Idem de prouidentia. Ignis aurum probat: miseria: fortes viros.

Lucanus poeta libro 4. Cupias quodcunque necesse est. Libro 7. Fortissimus ille est / Qui promptus metuenda pati: si cominus instent / Et differre potest.

Ualerius maximus libro 5. titulo de parentibus obitum filiorum forti animo tulerunt. Pericles princeps atheniensium inter quadriduum duobus mirificis adolescentibus filiis spoliatus: his ipsis diebus et vultum pristinum habitum retinente et oratione nulla ex parte infractione concionatus est. Ille vero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit: vt nihil ex veteri ritu propter domesticum vulnus detraheret. Non sine causa igitur tanti roboris animus ad olympii iouis cognomen ascendit. Anaxagoras audita morte filii: nihil mihi inquit in expectatum aut nouum nuncias. Ego enim illum ex me natum sciebam esse moriturum.

Iuuenalis libro 4. satyra i. Forte posce animum mortis terrore carente.

Commented [CN3]: fol.117rb ["120rb"]

Commented [CN4]: fol.117va

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Si metum tali arte sapis: quodcunque necesse est: / Id cupias animum canibus equipara. / Sub quocunque onere: strepitu omniue labore / Rectum stare lica. gloria non modica est.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 3. Magnanimitas que et fortitudo dicitur si insit animo tuo cum magna fiducia viues liber intrepidus et alacer. Magnum animi bonum est. non timere: sed constare sibi: et finem huius vite intrepidus expectare. 4. capitulo. In aduersis sis firmus in prosperis cautus et humilis.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 25. Est fortis qui se in dolore aliquo consolatur. Reuera iure ea fortitudo vocatur quando vnusquisque seipsum vincit aram continet: nullis illecebris emollitur atque inflectitur: non aduersis perturbatur non extollitur secundis.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Malorum victrix est fortitudo.

Augustinus in epigrammatibus prosperi emp. 49. Bonus nec temporalibus bonis extollitur: nec malis frangitur.

Commented [CN5]: fol.117vb

Prosper sub 35. emp. Rectorum est aduersa pati et tolerare modeste. / Nec querula in quoquam voce mouere deum. Sub 49. emp. Namque bonos non blanda inflant: nec aspera frangunt. Sub vltimo capitulo. Non metuo exilium: mundus domus omnibus vna est.

Cato capitulo 3. Rebus in aduersis animum submittere noli.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 7. Beata sors omnis est equanimitate tollerantis.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 22. Equum est vt se commendet pietas regalis fati vulnera sauciata: quia erigi plus merentur quos sortis sue aduersa presserunt. Idem de anima capitulo 7. Contra aduersa et prospera remedialis opponitur fortitudo.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 6. Non turbant aduersa pios nec prospera tollunt.

Gualterius de castellione libro 5. Nulla rei nouitas peruertere fortia debet / Pectora: cum nulla teneatur lege fidelis / Esse homini fortuna diu. Libro 6. Pregraue vulnus acerbo / Curatur ferro: grauis est medicina dolenti. / Asperior sanat grauiore potio morbos. / Naufragium que timens iactura sepe redemit / Nauta quod potuit: et dampnis dampna leuauit. / Animi est fortis contempnere mortem. / Non odisse tamen vitam: sed amare virorum est. Libro 9. Degeneres animi pectusque ignobile: summum / Credunt esse bonum diurna viuere vita.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 12. Uir est qui contra bifformes euentus fortune vniformi mentis constantia militat premunitus. Idem de hystoria tobie capitulo 30. Lubrica fortune non te premat alea viuas. / Maior in aduersis: prosperitate minor.

Heinricus samariensis libro 2. Contra fortunam sis constans: sis patiens: sis / Ferreus aduersi te neque fragat hyems.

**De** patientia et impatientia: Rubrica 2

Commented [CN6]: fol.118ra

Salomon in prouerbiis capitulo 14. Impatiens operabitur stultitiam. Qui patiens est multa gubernatur prudentia. Qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam. 16. capitulo. Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo expugnator est vrbium. 19. capitulo. Qui patiens est sustinebit damnum. 25. capitulo. Patientia linietur princeps. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Melior est patiens arrogante.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2 scilicet de thalete. Thales miliseus: qui primus sapiens nominatus est secundum quem et septem sapientes vocati sunt interrogatus qualiter quis infortunium facile feret: ait si inimicos peiora pati videat. 6. capitulo scilicet de biante. Bias primesis dictus vnus de septem sapientibus dicebat fortunatum esse non patientem infortunia.

Aristoteles polytorum libro 8. et finali capitulo 2. Iuuenes propter etatem indelectabile nihil sufferunt volentes.

Virgilius eneide libro 5. prope fine. Superanda omnis fortuna ferendo est.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Patientia est honestatis: aut vtilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diurna perpensio.

Quintilianus epistolarum 5. epistola. Leniter ex merito quicquid patiari ferendum est. / Que venit indigne pena dolenda venit. Idem sine titulo libro i. capitulo i. Leue fit quod bene fertur onus. Libro 2. capitulo 3. Heu quam quod cupies ponere: ferre graue est.

Quintilianus declamationum 10. declamatione. Leuat omnes cruciatus omnem dolorem preparata mentem composuisse patientia. Nulla pena est nisi inuito. non habemus vllum nisi ab impatientia dolorem. 11. declamatione. Leuior est dolor qui disponit.

Paulus apostolus in epistola ad romanos capitulo 5. Tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem.

**Seneca** tragediarum in troade capitulo 4. Quo plura possis plura patienter feras. In medea capitulo 4. Equum atque iniquum regis imperium feras. Idem epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 6. et finali. Multum addit sibi virtus lacessita. Idem de prouidentia. Marcet sine aduersario virtus: tunc apparet quanta sit quantumcunque polleat cum quid possit patientia ostendit. Idem de consolatione ad paulinum. Non ferre mala sua non est viri. Idem in prouerbiis et macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exautior publici. Feras non culpes quod mutari non potest. Furor fit lesa sepius patientia.

Commented [CN7]: fol.118rb

Lucanus libro 9. Gaudet patientia duris.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Patientia est malorum que aut inferuntur: aut accidunt cum equanimitate perlatio.

Prudentius de psicomachia capitulo 4. Omnibus vna comes virtutibus associatur: / Auxiliumque suum fortis patientia miscet. / Nulla anceps luctamen inuita virtute sine ista / Virtus: nam vidua est quam non patientia firmat.

Cato capitulo 2. Maxima etenim morum semper patientia virtus. Capitulo 4. Quod merito pateris patienter ferre memento. / Cumque reus tibi sis ipsum te iudice damna. Capitulo 5. Cede locum lesus: fortune cede potenti. / Ledere qui potuit: poterit aliquando prodesse.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo i. Equo animo vt toleres oportet: quicquid intra fortune aream geritur. In patientia sortem exacerbabis quam mutare non possis. 7. capitulo. Quis ille tam felix qui cum dederit impatientie manus statum suum mutare non oportet.

Cassiodorus epistolarum libro 10. epistola 11. Sustinendo potius quam vindicando laudaberis.

Gregorius in pastoralibus capitulo 34. Tanto minus quisque ostenditur doctus quanto minus conuincitur patiens. 52. capitulo. Quisque non tam que ab altero tollerat quam que ab ipso tolerantur attendat. si enim sua que portantur considerat: ea que ab altero sustinet leuius portat.

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 4. Omnia aduersa equo animo porta. Dum tibi aliena pericula memoras: mitius tua portas. aliorum enim exempla dolorem releuant. Alienis malis facilius consolatur homo. Ab vno ferendum est: quod multis accidit tolerabile. Qui aduersa patienter tolerat: deum sibi citius placat. 17. capitulo. Patienter leuiora portabis: si grauiora fueris recordatus.

Bernardus de improbatione vitiorum capitulo 4. Nobilis exuperat duras patientia linguas / Nullius aduersi patiens furore mouetur / Et expectata ferunt valiturum semina fructum / Et sua vir patiens vota videbit ouans.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. Patientia conseruatiua est virtutis.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 40. Quam patimur iuste non ita pena riget.

### De spernendis conuiciis et malis dictis: Rubrica 3

Psalmista 122. psalmo. Ab auditione mala non timebit iustus.

Salomon in ecclesiastice capitulo 7. Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accomodes cor tuum: ne forte audias seruum tuum male dicentem tibi: scit enim tua conscientia: quia et tu crebro maledixisti aliis.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 28. Noli audire nequam linguam. / Seras auribus tuis facito.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 10. epistola 3. Equo animo audienda sunt imperitorum conuicia: et ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus. Libro 15. epistola 4. Eleganter demetrius noster solet dicere: eodem loco sibi esse voces imperitorum quo ventre redditos crepitus. quid enim inquit mea refert sursum isti an deorsum sonent. Libro 20. et finali epistola 6. Concludende sunt aures malis vocibus. Idem de clementia. Magni animi proprium est iniurias atque offensiones spernere despicere: humili loco positus exercere manum: litigare: in iram procurare ac morem ire sue gerere.

Commented [CN8]: fol.118va

Cato capitulo 4. Cum recte viuas ne cures verba malorum. / Arbitrii nostri non est quod quisque loquatur.

Commented [CN9]: fol.118vb

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 12. Disce mala ferre potiusquam referre. Iniurias non respondeas. Conuicium non retorqueas. Contumelias non rependas. Cum silentii patientia tacendo cito vinces. Maledicenti benedictionem oppone. Irascentem patientia deline. Blandimento iracundiam furentis dissolue. Uince nequitiam lenitate. Uince malitiam bonitate.

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. Octavianus augustus cum tyberius quereretur per epistolam quod multi de illo perperam loquerentur: ita rescripsit: Mi tyberi noli nimis indignum quemquam esse qui de te loquatur malum. satis est enim si hoc habemus ne quis nobis mala facere possit. Octavianus augustus cum eidem descendenti rome per sacram viam: desperatus quidam diceret: o tyranne: si essem inquit non diceres.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 6. Nobilis exuperat duras patientia linguas.

De animi constantia seu perseuerantia leuitate pertinacia et mutabilitate: Rubrica 4

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante. Bias vnus de septem sapientibus ait: quicquid proposueris firmiter seruans perseuera.

Aristoteles magnorum moralium libro 2. capitulo 18. Perseuerantia est contra tristitias: et substinens tristitias iste perseuerans est. 75. capitulo. Prauus nunquam est idem sibiipsi.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 27. Stultus sicut luna immutatur. 29. capitulo. Uita nequam hospitandi de domo in domum.

Terentius in adelphis. Nunquam ita quisque bene subducta ratione: ad vitam fuit: quando res etas vsus semper aliquid apporet noui: aliquid moneat: vt illa que te scire credas nescios: et que tibi putaueris prima in experiundo repudies.

Oratius in epistolis libro 2. epistola i. Quid placet: aut odio est quod non mutabile credas.

Tullius de officiis libro i. capitulo 36. Fortis animi et constantis est non perturbari in rebus asperis nec tumultuatum de gradu deiici: sed prestantis animi vti consilio: nec a ratione discedere. 45. capitulo. Ut aduersas res: sic secundas immoderate ferre leuitatis est: preclara que est in omni vita: et idem semper vultus: eademque frons. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Perseuerantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua mansio.

Commented [CN10]: fol.119ra

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo i. Uir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 2. Primum argumentum composite mentis existimo posse consistere et secum morari. Non conualescit planta que sepe transfertur. Libro 5. epistola 5. Ante omnia hoc cura vt constes tibi. Libro 7. epistola 4. Stultitie nihil constat: nihil diu placet. Idem de tranquillitate animi. Humanus animus agilis est et pronus ad motus. Semper presentibus infesta est leuitas. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Mobilis et inquieta homini mens data est: nunquam se tenere potest. spargitur: et cogitationes suas in omnia nota

atque ignota dimittit vaga: et quietis impatiens et nouitate rerum letissima. Idem in prouerbiis. Argumentum bene compositae mentis est: consistere et secum morari.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Mobilibus ventis similes ludibria mentis / Uescene: nunquam stas: sed quasi turbo volas. Capitulo 3. Est mentis bene disposite consistere secum. / Et non in motus dissimiles ruere. Capitulo 4. Non bene firmatur radix que sepe mouetur / Nec multa hospitia pignus amoris habent. Capitulo 5. Cum adeo gaudes iouiane locali. / Cur tam sepe salis: ante quoniam leuis es. / Signat enim motus mentis mutatio tanta. / Quod non concordet nec tibi conuenias. / Pondus habe: stabis: cum pondere gleba quieta est. / Dirupitur puluis pro leuitate sum. / **Nec** natura loci tibi recte viuere donat. / Sed mens discreta propositaque tenax.

Commented [CN11]: fol.119rb

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Mobilis esto non leuis: constans non pertinax.

Cato capitulo 2. Sperne repugnando tibi tu contrarius esse. / Conueniet nulli qui secum dissidet ipse. / Constans et lenis vt res exoptulat esto. / Temporibus mores sapiens sine crimine mutat. Capitulo 5. et finali. Laudaris quodcumque palam quodcumque probaris. / Hec vide ne rursus leuitatis crimine damnes.

Boetius de disciplina scolarium libro 3. Sicut in vnoquoque opere mater inuenitur constantia: ita vniuerse doctrine nouerca est negligentia.

Cassiodorus epistolarium libro 3. epistola 52. In hystrionibus rara est constantia honestumque votum. Libro 5. epistola 34. Leuissimi animi mos est polliceri facile que non disponit implere. Libro 7. epistola 36. Dum sit homo commutabilis: nature sue qualitates habere desiderat.

Gregorius in pastoralibus capitulo 43. Perninaces nisi meliores se ceteris extimarent: nunquam cunctorum consilia sue deliberationi postponderent. Pertinacia quippe ex superbia generatur. Inconstantia ex leuitate generatur. Admonendi sunt pertinaces vt elationes sue cognitionis agnoscant et semetipsos vincere studeant: ue dum rectis aliorum suasionibus foris superari despiciunt intus a superbia captiuati teneantur.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 6. Iacturam fidei notat in constantia mentis. / Palpitat in vario pectore rara fides.

Gaufridus de hyronia curie papalis. Constantes animos premia nulla mouent.

Iacobus beneuentanus capitulo 50. Mobile cor cunctis et mens est vana puellis. / Firmum propositum femina nulla gerit.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 40. Non est prudentis vano sermone moueri / Constantes animos premia nulla mouent.

Prouerbia vulgaria. Chi sta ben nose moua.

De spe et desperatione: Rubrica 5

Commented [CN12]: fol.119va

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Spes que differtur affligat animam. 27. capitulo. Ne glorieris in crastinum: ignorans quid superuentura pariat dies.

Regum libro 2. capitulo 2. An ignoras quod periculosa sit desperatio.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 20. Speranti consequitur fantasia aliqua eius quod sperat. Libro 2. capitulo 16. Iuuenes bone spei sunt. Iuuenes propterea quod nondum in multis repulsam passi sunt viuunt secundum plurima spei: spes quidem futuri est: memoria autem preteriti: iuuenibus autem quod quidem futurum multum: preteritum autem breue. Iuuenes facile seductibiles sunt: sperant enim facile. Senes difficilis spei sunt: propter experientiam, plura enim eorum que fiunt mala sunt eueniunt enim multa in deterius.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 22. Ad amicum etsi produxeris gladium ne desperes. est enim regressus ad amicum.

Oratius in epistolis libro i. epistola 4. Grata superueniet que non sperabitur hora.

Tullius inuectiuarum in catilinam libro 4. et finali. Spes sola hominem in miseris consolari solet.

Ouidius epistolarum 2. epistola. Quecunque ex merito spes venit: equa venit. Epistola 16. Fallitur augurio spes bona sepe suo. Idem methamorphosis libro i. Spes tamen in dubio est. Libro. 9. Spes est que cupiat spes est que pascat amantem. Idem de ponto libro 3. epistola 7. et antepenultima. Spem iuuat amplecti: que non iuuat irrita semper / Et fieri cupias si qua futura putes.

Quintilianus declamationum 7. declamatione. Nihil magis interesse hominum puto quam vt spes pro homine tam longa quam vita sit.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 3. Spes incerti boni nomen est. Libro 12. epistola 2. et finali. Diuitie insolentiam dant: nihil est aliud insolentia quam spes false magnitudinis. Libro 18. epistola i. O quanta dementia est spes longas inchoantium. Idem declamationum libro 5. capitulo i. Spes vltimum est aduersarum rerum solatium. Libro 9. capitulo 6. et finali. Concitissima est rabies in desperatione. Idem de breuitate vite. Spes spem excitat ambitionem ambitio.

Commented [CN13]: fol.119vb

Lucanus libro i. Spes saltem trepidas mentes leuat.

Ualerius maximus libro 6. titulo 9. et finali. Stultum est perpetue infelicitati se damnare spemque ex incerto recte fouetur interdum certam in desperationem conuertere.

Stattius thebaidos libro 2. Non grauior mortalibus addita cura / Spes vbi longa venit.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 10. Nemo desperet fieri posse que facta sunt. Libro 3. titulo 23. Ex desperatione crescit audacia: et cum spei nihil est sumit arma formido.

Augustinus in epigrammatibus prosperi emp. 86. Non est desperandum de malis: sed pro ipsis vt boni fiant potius supplicandum: quia numerus sanctorum semper est auctus de numero impiorum.



Cato capitulo 3. Spem retine: spes vna hominem nec morte reliquit. Capitulo 5. et finali. In aduersis melius sperare memento.

Boetius libro diuisionum. Quis non videat plurimum ad bonarum artium defectum valere: si apud mentes hominum nunquam sit desperatio discendi.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 25. In ipsis conatibus egra languescunt: que meritorum presumptionibus non inuuantur.

Isidorus in synonyma solliloquiorum libro i. capitulo. Desperatio auget peccatum.

Uersicator fabularum esopi 29. fabula. Sic timeat quicumque timet ne molle timoris. / Spe careat: grauis est spe fugiente timor. / Speret qui metuit: morituros viuere vidi: / Spe duce: victuros spe moriente mori.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo i. Spes reficit dominum: fallit et ipsa suum.

Capitulo 13. Obstitit interdum factis fortuna virorum / Propositumque suo non sinit esse loco.

Capitulo 36. Desperare nocet: votum labor improbus implet. Capitulo 37. Sorte sub ambigua spes et labor omnis habetur. / Crescit principio spes tamen ipsa bono.

Commented [CN14]: fol.120ra

Baldo 11. fabula. Hic ope virtutis spes est vbi nulla salutis.

Gualterius de castellione libro 7. Spes in dubiis semper comes optima rebus.

Iacobus beneuentanus capitulo 56. Spes bona mortales fallere sepe solet.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 11. Spes multos decipit. atque / Hec eadem reficit: implet: et euacuat.

#### De magnanimitate et magnificentia et pusillanimitate: Rubrica 6

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 3. Inops quod non vtique erit magnificus. 4. capitulo. Videtur magnanimus esse qui magnis seipsum dignificat: dignus existens. qui enim non secundum dignitatem id facit insipiens. Motus grauis lentus magnanimi videtur esse: et vox grauis et locutio stabilis. Pusillanimis quidem dignus existens bonis seipsum priuat quibus dignus est. Opponitur magnanimitati pusillanimitas. Magnanimitas quidem contra honorem est magnum. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 16. Iuuenes magnanimi sunt. a vita enim nondum humiliati sunt: sed necessariorum inexperti sunt: et magnificare seipsum in magnis magnanimitas est. hec autem eius qui bone spei. Senes autem sunt pusillanimes: quia humiliati sunt a vita.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Magnificentia est rerum magnarum cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 10. Habet hoc optimum in se generosus animus quod concitatur ad honesta. neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida. Idem de clementia. Magni animi proprium est placidum esse et tranquillum quietumque. Magni animi proprium est iniurias atque offensiones spernere despiciere: humili loco positus exercere manum litigare: in iram procurare: at morem ire sue gerere.

Commented [CN15]: fol.120rb

Lucanus libro 2. Cesariana furens nullas nisi sanguine fuso / Gaudet habere vias: quod non terra hoste vacantes / Hesperie fines: vacuosque irrumpat in agros. / Atque ipsum non perdat iter: consertaque bellis / Bella gerat: non tam portas intrare patentes: / Quam fregisse iuuat: nec tam patiente colono / Arua premi: quam si ferro populetur et igni. / Concessa pudet ire uia: ciuemque videri.

Ualerius maximus libro 3. titulo de fiducia sui. Publius scipio postquam aethricam attigit: speculatores hannibalis in castris deprehensos et ad se productos: nec supplitio affecit: nec consilii ac iuribus penorum percunctatus est: sed circa omnes manipulos diligentissime ducendos curauit: interrogatosque an satis ea considerassent que speculari iussi erant: prandio dato ipsis iumentisque eorum incolumes dimisit. Quo tam pleno fiducia spiritu: prius animos hostium quam arma contulit. Scipio emilianus aucti spiritus egregius successor cum urbe preualidam obsideret: suadentibus quibusdam ut circa menia eius ferreos murices spargeret: omniaque vada blumbatis stabulis habentibus clauorum: cacumina consterneret: ne subita eruptione hostes in presidia nostra impetum facere possent. Respondit non esse eiusdem et capere aliquos velle et timere. Libro 6. titulo libere dicta aut facta. Priuerno capto interfectisque qui id opidum ad rebellandum incitauerant: senatus indignatione accensus consilium agitabat quidnam sibi dereliquis quoque priuernatibus esset faciendum. Ancipiti igitur casu salus eorum fluctuabat: eodem tempore et victoribus et iratis subiecta. Ceterum cum auxilium vnicum in precibus restare animaduertent ingenui italici sanguinis obliuisci non potuerunt. princeps enim eorum in curia interrogatus quam penam mererentur. Respondit **quam** mererentur qui se dignos libertate iudicantes arma sumpserunt: exasperatosque patrum conscriptorum animos verbis inflammauerunt. Sed plautius consul fauens priuernatium cause regressum animoso eius dicto obtulit: quesivitque qualem cum eis romani pacem habituri essent impunitate donata. At his constantissimo vultu: si bonam dederitis inquit perpetuam: si malam non diuturnam. Qua voce perfectum est ut victis non solum venia: sed etiam ius et beneficium nostre ciuitatis daretur. Titulo grauiter dicta aut facta. Bruto cum se tota pene lusitania dedisset ac sola gentis eius vrbs cinima pertinaciter arma retineret: temptata redemptione prope modum: vno ore legatis. Bruti respondit: ferrum sibi a maioribus quo urbem tuerentur: non aurum quo libertatem ab imperatore auaro emerent relictum. Alexander rex macedonum dario vno iam et altero prelio virtutem eius experto: atque ideo et partem regni tauretenus monte et filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentum polliceret: cum parmenon dixisset se si alexander esset vsurum ea conditione. Respondit et ego vterer si parmenon essem. Vocem edidit duabus victoriis respondentem: dignamque cui tertia sicut euenit tribueretur.

Frontinus libro 4. et finali titulo 5. F. crassus cum bellum aduersus armosticem in asia gerens inter helyam et numiam in hostium copiam incidisset viuisque abduceretur execratus in consule romano captiuitatem: virga qua ad equum erat vsus oculum traxis a quo tenebatur eruit: atque ab eo per dolorem concitato transuerberatus dedecus seruitutis ut voluerat effugit.

Lex digestorum titulo de origine iuris l. ii. §. deinde quintus mutius. Quintus mutius ad carthaginenses missus legatus cum essent due tesere posite vna pacis altera belli: arbitrio sibi dato vtram vellet referre romam: vtramque substulit: et ait: carthaginenses petere debere vtram mallent accipere.

Commented [CN16]: fol.120va

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 2. Celso **curus** nisi confidentia magna non appetit. Generosi animi est obtinere quod summum est. Libro 4. epistola. 3. Theodoricus rex gothorum dixit cuidam illustri viro: Non te terruit contentionibus inflammata regalis auctoritas. Subiugasti quinimmo audaciam veritati. Libro 7. epistola 26. Libertas animi voluntatem propriam semper ostendit.

Commented [CN17]: fol.120vb

Boetius de consolatione libro i. capitulo 8. Camus cum a gajo cesare germanici filio conscius qua se fecit coniurationis fuisse diceretur. Si scissem inquit tu nescisses.

Gualterius de castellione libro. i. Parce humili facilis oranti: frange superbum. Mansuesce rogatus. Disce pius victis vincendis esse crudelis.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Sis animo magnus: sis moribus agna: vel agnus.

#### De mansuetudine ira et furore: Rubrica 7

Iob hystoria capitulo 5. Uirum stultum interficit iracundia. 36. capitulo. Non te superet vt aliquem opprimas.

Psalmistia 4. psalmo. Irascimini et nolite peccare. 36. psalmo. Desine ab ira et derelinque furorem. Mansueti habitabunt terram: et delectabuntur in multitudine pacis.

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Mansuetis dominus gratiam dabit. 12. capitulo. Fatuus statim vindicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam callidus est. 15. capitulo. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem. 16. capitulo. Indignatio regis nuncius mortis: et vir sapiens placabit eum. In hilaritate vultus regis vita. 18. capitulo. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? 22. capitulo. Noli esse amicus homini iracundo: neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas eius et sumas scandalum anime tue. 25. capitulo. Lingua mollis frangit duritiam. 26. capitulo. Qui imponit stulto silentium iras mitigat. Homo iracundus suscitatur rixas. 27. capitulo. Ira non habet misericordiam: nec erumpens furor: et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? 29. capitulo. Uir iracundus **prouocat** rixas: et qui ad indignandum facilis est erit ad peccata procliuior. 30. capitulo et penultimo. Qui prouocat iras perducit discordias. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Ne sis velox ad irascendum. Ira in fine stulti requiescit.

Commented [CN18]: fol.121ra

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4. scilicet de chilone. Chilo vnus de septem sapientibus iubebat ire dominari.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 20. Quecunque presentia letificant: et sperantes et memorantes vt in pluribus: propter quod et irasci delectabile. nullus enim irascitur ei qui videtur impotens cruciatum sortiri: neque his qui multum supersunt potentia: aut si irascatur mitius. Irati tristantur vehementer non punientes: sperantes autem gaudent. Libro 2. capitulo 8. Infirmi egentes amantes sitientes totaliter concupiscentes: et non assequentes iracundi sunt et facile commobiles. 5. capitulo. Irasci contrarium est ei quod est mitescere: et ira mansuetudini. Mansuetudo est destitutio et quietatio ire. Ad confitentes iuste flagellari quietamur ab ira. Ad

humilitates cessat ira. Impossibile est simul timere et irasci. Quietat iram tempus: quietat autem et alterius ira maior: et ab alio recepta punitio prius. Filocrates dicente quodam irato populo. Cur non respondes. nondum ait: sed tunc cum alium videro criminatum. mites enim fient cum in alios iram expenderint. Non fit ab ira iustum. 6. capitulo. Factiua inimicitie est ira. Iratus tristatur: odiens autem non. 8. capitulo. Ausium est ira. Iniusta pati ire factiuum est. 16. capitulo. Iuuenes sunt animosi et acute ire: et quales assequi impetu et minores sunt ire. Nullus iratus timet. Idem ethicorum libro 3. capitulo 8. Impetuosissimus est furor ad pericula. Irati quidem dolent: punientes autem delectantur. Libro 6. Mansuetudo est medietas contra iras. Qui quidem in omnibus oportet irascitur adhuc autem et vt oportet et quoniam et quanto tempore laudatur: mansuetus autem iste vtique erit: si quidem mansuetudo laudatur. vult enim mansuetus imperturbatus esse et non duci ad passionem: sed secundum quod ratio ordinabit. Non irasci in quibus oportet videtur insipientis esse. Iracundi velociter irascuntur: et quibus non oportet: et in quibus non oportet: et magisquam oportet: quiescunt autem velociter. Punitio quietat impetum ire: delectationem pro tristitia facientes. Libro 7. capitulo 6. Ira consequitur rationem aliququaliter. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 41. Neque deficiens ira neque superabundans laudabile est. Libro 2. capitulo 17. Nullus iratus non tristatur. Idem hyconomicorum libro i. Iracundi non bene subiiciuntur. Idem polyticorum libro 5. capitulo 7. Iratorum fere plurimi punitiois gratia insurgunt. Ira cum tristitia adest. Idem de hystoriis animalium libro 8. capitulo i. Minus sunt iracunda femella omnia masculinis excepta vrsa et pardolo. Idem topicorum libro 4. Qui irascitur contristatur priore in eo tristitia facta. non enim ira tristitie: sed tristitia ire est causa. Idem elementorum libro i. Conturbati minus possunt obseruare omnes.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Cum iracundo non facias rixam. 25. capitulo. Non est ira super iram mulieris. 28. capitulo. Homo iracundus incendit litem. 30. capitulo. Zelus et iracundia minuunt dies.

Terentius in hecyrta capitulo 8. Pueri inter sese quam pro leuibus noxiis iras gerunt.

Salustius in catilinario. Que apud alios iracundia dicitur ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur.

Virgilius eneide libro 5. parum vltra medium. Uim suscitatur ira.

Oratius in epistolis 2. epistola. Ira breuis furor est: animum rege: qui nisi paret / Imperat: hunc frenis hunc tu compesce cathenis.

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Nunquam sapiens irascitur. Libro 4. Ira est libido puniendi eum qui videatur lesisse iniuria. Animus qui turbatus et concitatus cohibere se non potest: nec quo loco vult insistere. Idem in oratione pro marco marcello: Iracundia est inimica consilio. Idem de oratore libro 2. Habet et voluntatem nocendi iracundia.

Ouidius epistolarum 3. epistola. Uince animos iramque tuam qui cetera vincis. Epistola 7. Flendo diffundimus iram. Idem sine titulo siue amorum libro i. capitulo 8. Sed nunquam dederis spaciosum tempus in iram. / Sepe simultates ira morata facit. Libro 2. capitulo 12. Cadit ira metu. Idem de arte amandi libro i. Ut fragilis glacies interit ira mora. Libro 3. et finali. Pertinet ad faciem rabidos compescere mores / Candida pax homines: trux decet ira feras. / Ora tument

Commented [CN19]: fol.121rb

Commented [CN20]: fol.121va

ira: nigrescunt sanguine vene. / Lumina gorgon eo seuius igne micant. Idem de remedio amoris libro i. Dum furor in cursu est currenti cede furori. Idem de tristibus libro 3. capitulo 6. Quo quisquam est maior magis est placabilis ire. / Et faciles motus mens generosa capit. Epistola 12. Omne trahit secum cesaris ira malum. Idem methamorphosis libro i. Seua cupidinis ira subest. Libro 13. Facit ira potentem. Idem de fastis libro 5. Iustum preterit ira modum.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 3. Sit omnis homo velox ad audiendum: tardus ad loquendum: et tardus ad iram.

Paulus apostolus in epistola ad ephesios capitulo 3. Sol non occidat super iracundiam vestram.

Seneca de ira libro i. Ira in temeritatem prona est: et pericula dum inferre vult: non timet. Libro 2. Nunquam iracundia admittenda est: aliquando simulanda. Fortiora solidaque natura ingenia antequam disciplina molliatur prona in iram sunt. Nihil magis facit iracundos quam educatio mollis et blanda: Maximum remedium ire mora est. Quid est gloriosius quam iram in amicitiam commutare. Libro 3. Cetera vitia impellunt animos: ira precipitat. Animus affectus nimis offenditur. Idem epistolarum ad lucillum libro 3. epistola 4. Immodica ira gignit insaniam. Ingentis ire exitus furor est. Libro 19. epistola 8. Iracundi **hominis** iracunda oratio est. Idem tragediarum in hercule furente capitulo 3. Arma non seruant modum / Nec temperari facile: nec reprimi potest / Stricti ensis ira. In thieste capitulo 7. Ira cum magnis agitata causis / Gratiam rumpit generatque bellum. In hyppolito capitulo 2. Furor cogit / Semper peiora. Siste furibundum impetum. Capitulo 7. Quid sinat inausum femine preceps furor. In troade capitulo 4. Iuuenile vicium est regere non posse impetum. Capitulo 7. Dabit ira vires. In medea capitulo 3. Ira que tegitur nocet. Capitulo 7. Grauis ira regum est semper. Idem in prouerbiis. Fulmen est vbi cum potestate habitat iracundia. Iratus etiam facinus consilium putat.

Lucanus libro 4. Timeatque surentes. / Et morti faciles animos. Libro 7. Frenosque furentibus ira. / Laxat.

Ualerius maximus libro 9. titulo de ira. Semiramis assyriorum regina cum ei circa cultum capitis sui occupate nunciatum esset babyloniam defecisse altera parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit. Nec prius decorem capillorum in ordinem quam tantam urbem in potestatem redegit. Quo circa statua est in babylone posita illo habitu quo adulti omnem exigendam celeritate precipiti tetendit.

Lex digestorum titulo ad legem iuliam de adulteriis l. si adulterium cum incestu §. imperatores. Difficilimum est iustum dolorem temperare. Titulo de regulis iuris l. quicquid. et de diuortiis l. iii. Quicquid calore iracundie vel fit vel dicitur non prius ratum est quam si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Ira mouet gladium.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Ad iram sis tardus.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Tres sunt affectus qui homines in omnia **facinora** precipites agunt. Ira cupiditas libido.

Commented [CN21]: fol.121vb

Commented [CN22]: fol.122ra

Augustinus in epigrammatibus prosperi emp. 93. Nulli irascenti sua ira videtur iniusta. Ab omni indignatione cito redeundum est ad mansuetudinis lenitatem: nam pertinax motus facile in eius odium transit cui non celeriter ignoscitur.

Prudentius de psicomachia capitulo 4. Ipsa sibi est hostis vesania: seque furendo. / Interimit moriturque suis ira ignea telis.

Fulgentius libro 2. fabula 14. Furor etiam sapientibus aliquando subrepat. Omnis sapientia integritate morum suorum contra furiam virtute animi vindicat. Omnis sapiens furorem suum in corde celat.

Cato capitulo i. Irasci ab re noli. / Ira te tempera. Capitulo 2. Ira odium generat: concordia nutrit amorem. Capitulo 3. Iratus de re incerta contendere noli. / Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola i. Indignatio ceca est. Furor instantiam plerunque precipitat. 11. epistola. Iracunda contemne. Libro 4. epistola 10. Iniquum quippe nimis est quod delectat iratum. Furentes iusta non sentiunt: quia dum commoti in vindictam seuiunt rerum temperantiam non requirunt. Libro 6. epistola 9. Iracundus luminum feruore declaratur. Libro 10. epistola 11. Iram vince. Libro 11. epistola 8. Grauius semper irascitur qui contra propositum commouetur. Libro 12. et finali epistola i. Quam periculosum est pati iudicem rationabiliter iratum: et illum de fortunis tuis decernere quod te constat grauius imitasse. Idem de amicitia capitulo 24. Ira procul absit: cum qua nihil considerate nihil recte fieri potest. Qui sequitur sue mentis impetum et non rationem: vix aut nunquam in corripiendo proficiunt.

Gregorius in pastorali capitulo 28. Habet tristis ex propinquo iram. 41. capitulo. Nonnunquam mansueti cum presunt vicinum et quasi iuxta positum torporem desidia patiuntur: et plerunque nimia resolutione lenitatis ultra quam necesse est vigore distractionis emolliunt. Iracundi cum regiminum loca percipiunt quo impellente ira in mentis vesaniam deuoluuntur: eo etiam subditorum vitam dissipata quietis tranquillitate confundunt. Amplectantur mansueti sollicitudinem: damnant iracundi perturbationem. Menti furore ebrie omne rectum quod dicitur peruersum videtur.

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 21. Refrena iracundie impetus. / Si non potes iram vitare: vel tempera / Irascentem patientia delinire. / Blandimento iracundiam furentis dissolue.

Bernardus in libro de improbatione viciorum capitulo 4. Te tua precipitant si non caueris ab ira. / Sepius iratur placidus reticendo coartat. / Mansuetudo fera flectit sine verbere mentem.

Gualterius de castellione libro i. Mansuesce rogatus. / Uindictam differ donec pertranseat ira. Libro 10. et finali. Immemor ira sui est: et quo rapit impetus illuc. / Ebria discurrit: et se sociosque flagellat.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. capitulo 3. Ira patet vultus exteriore nota. Capitulo 4. Intimat ira nocens exitiale nephas. Capitulo 8. Ira mouet lites: lis prelia: prelia mortem.

Gaufridus in poetria capitulo 107. Ira genus flamme: materque furoris ab ipso. / Felle trahens oritur: cor et interiora venenat.

Commented [CN23]: fol.122rb

Ricardus iudex venusinus libro de pertractione nuptiarum capitulo 28. Ieiunus leniter subitam scandescit ad iram.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Accensas mollis responsio mitigat iras. / Auget eas potius dura creatque nouas. / Ira potentis erit quasi fulgoris ictus habenda. / Sicut hic est. sic est illa cauenda tibi.

Prouerbia vulgaria. Chi piegora se fa louo elmanduga.

#### De vindicta et clementia seu remissione proprie iniurie: Rubrica 8

In leuitico capitulo 19. Non queras vltionem: nec memoreris iniurie ciuium tuorum.

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Clementia preparat vitam. 16. capitulo. Clementia regis quasi humber serotinus. 20. capitulo. Ne dicas reddant malum pro malo. expecta dominum et liberabit te. Roboratur clementia tronus regis.

Commented [CN24]: fol.122va

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 20. Punire delectabile est.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Omnis iniurie proximi tui ne memineris.

Terentius in eunucho capitulo. Malo ego nos prospicere quam vlcisci accepta iniuria. In adelphis capitulo 23. Re ipsa reperi facilitate nihil esse homini melius: neque clementia.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Uindicatio est per quam vix aut iniuria: et omnino omne quod offuturum est defendendo aut vlciscendo propulsatur. Clementia est per quam animi temere in odium alicuius inuentionis concitati comitate retinentur. 12. capitulo. His qui imprudentes leserunt ignosci conuenit. Idem de officiis libro i. capitulo 41. Nihil laudabilius: nihil magno et preclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Idem in oratione pro quinto ligario. Homines ad deos nulla propius accedunt quam salutem hominibus dando. Nihil habet neque fortuna maius quam vt possis nec natura melius quam vt velis conseruare quam plurimos.

Ouidius de tristibus libro epistola vnica. Si quotiens peccant: homines fulmina mittat / Iuppiter: exiguo tempore solus erit. Libro 3. epistola 5. Quo quisquam est maior magis est placabilis ire. / Et faciles motus mens generosa capit. / Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni. / Pugna suum finem cum iacet hostis habet. / At lupus et turpes instant morientibus vrsi. / Et quecunque minor nobilitate fera.

Quintilianus declamationum 8. declamatione. Hec est celebranda virtus huius animi suscipienda moderatio: vincere iram: et inter simultates quoque meminisse hominis. Semper odiorum honestus casus est: et dum simultates nihil aliud habent quam nocendi cupiditatem speciosa in melius animi mutatio est cum exempli honore.

Commented [CN25]: fol.122vb

Seneca de clementia. Nullum clementia ex omnibus magis quam regem et principem decet. Magni animi proprium est iniurias atque offensiones spernere: despiciere: humili loco positus exercere manum: litigare: in iram procurare atque morem sue ire gerere. Clementia non tantum honestiores: sed tutiores prestat: ornamentum enim imperatorum est et certa salus. Clemener

vocabo non in alieno dolore facilem: sed eum qui cum suis stimulis exagitetur non prosilit. Clementia est temperantia animi in potestate vlscendi. Uel leuitas superioris aduersus inferiorem. Dici etiam potest inclinatio animi ad lenitatem in pena exigenda. Atque hoc homines intelligunt clementiam esse: que se flectat citra id quod merito constitui posset. Idem de ira libro. Sepe satius est dissimulare quam vlsceri iniuriam. Idem tragediarum in hercule furente capitulo 11. et finali. Sepe vindicta offuit. In thebaide capitulo 5. et finali. Qui vult amari languida regnat manu. In agamene capitulo 4. Det ille veniam facile cui est opus venia. Idem de septem liberalibus artibus. Clementia alieno sanguini tanquam suo parcat: et scit non hominis esse homine prodigo vtendum.

Ualerius maximus libro 5. titulo de humanitate aut clementia. Lelius cornelius consul primo punico bello cum helbiam opidum cepisset pro quo fortissime dimicans arrio dux carthaginensium occiderat corpus eius et tabernaculo suo amplo funere extulit. Nec dubitauit hostis exequias ipse celebrare: tunc demum victoriam et apud deos: et apud homines minimum inuidie habituram credens quando plurimum humanitatis habuisset. Lucius paulus cum persem parui temporis memento captiuum ex acie adduci audisset occurrit ei romani imperii decoratus ornamentis: conatumque ad genua procumbere dextera manu alleuauit: et greco sermone ad spem exhortatus est. Introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in concilio sedere fecit: nec honore mense indignum iudicauit. Piscistratus tyrannus atheniensium cum adolescens quidam amore filie eius virginis accensus in publico obuiam sibi factam osculatus esset: hortante vxore vt ab eo capitale supplicium sumeret: respondit: Si eos qui nos amant interficiemus: quid his faciemus quibus odio sumus?

Commented [CN26]: fol.123ra

Staius thebaidos libro 6. Pulchrum est vitam donare minori. Libro 8. Si decidat hostis: / Ire supra satis est: vitamque relinquere victo.

Frontinus libro titulo 11. Scipio africanus in hispania: cum inter captiuas eximie forme virgo alias et nobilis ad eum perducta esset que omnium oculos in se conuerteret summa custodia habitam sponso reddidit. Insuperque aurum quod parentes eius redempturi captiuam domum scipioni attulerant: eidem sponso pro nuptiali munere dedit. Qua multiplici gratia: vniuersa gens victa: imperio populi romani accessit.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 3. Scito hoc magnum et honestum genus vindicte esse ignoscere. 8. capitulo. Esto vltor clemens: seuitie detestator.

Prosper sub 38. emp. Det peccatori veniam peccator: et equa / Conciliet dominum conditione sibi. Sub 39. emp. Offensas sibimet parcentia corda remittant. / Nam nemo est qui non indigeat venia. Sub vltimo capitulo. Uindictam lesus nesciat exigere.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 30. Quid discrepat a peccante qui se excessu nititur vindicare. Libro 2. epistola 9. Benigni principis est ad clementie commodum transilire terminos equitatis. Libro 11. et penultimo epistola 41. et finali. Ex remissione suauissimos fructus legimus: et remittendo aliis nobis parcimus. Tu indulgentia patrona es humani generis: tu afflictis rebus medica singularis. Quis tuo non egeat munere. Cum sit peccare commune: ab vniuersis necessario peteris: quando sub te spes vite sumitur que sub iustitia non habetur. Ocium tibi clemens actus inducit.

Commented [CN27]: fol.123rb



Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 21. Disce mala ferre potius quam referre. Magna est virtus si non ledis a quo lesus est. Uince nequitiam lenitate. Uince malitiam bonitate. 23. capitulo. Petenti tibi veniam libenter indulge. Aliene nequitię non serues dolorem. 49. capitulo. Ita clemens esto in alienis delictis sicut in tuis: nec quemquam districtius quam te iudices.

Gualterius de castellione libro i. Instabile est regnum quod non clementia firmat.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Parcere subiectis et debellare superbos. / Hec est in summis gloria summa viris.

#### De verecundia: Rubrica 9

Aristoteles ethicorum libro 3. capitulo 7. Qui timet decens et verecundus est qui autem non timet inuerecundus. Libro 4. capitulo 10. et finali. De verecundia vt quadam virtute non conuenit dicere: passioni autem magis assimilatur quam habitui. Uerecundia est timor ingloriationis. Rubescunt verecundati. Laudamus iuuenem verecundum: senem autem nullus vtique laudabit quoniam verecundabilis. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 9. Erubescencia est tristitia quedam: et turbatio circa ea que videntur ferre in gloriatione malorum aut presentium aut futurorum. In erubescencia autem paruipensio quedam et impassibilitas. contra hec ipsa. De confusione fantasia est erubescencia. 16. capitulo. Iuuenes erubescitiui sunt.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 32. Ante grandinem preibit coruscatio: et ante verecundiam preibit gratia.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 2. Uerecundia in adolescente bonum signum est. Rubor grauissimis quoque viris subitus affunditur. Rubor inuenibus magis apparet: quibus et plus caloris est et tenera frons. nihilominus et veteranos et senes tangit. Quidam nunquam magis quam cum erubuerint timidi sunt: quasi omnem verecundiam effuderint. Non accidit rubor ab infirmitate mentis: sed a nouitate rei: que inexercitatos etiam si non concutit mouet: naturali in hac facilitate corporis pronos. Ut quidam boni sanguinis sunt: ita quidam incitati et mobilis et cito in hos prodeuntis. Idem de naturalibus questionibus libro i. Tenerrima est oculorum verecundia. Idem in prouerbiis. Proximum ad innocentiam tenet locum verecundia peccandi. Recta ingenia debilitat verecundia.

Ualerius maximus libro 4. titulo de verecundia capitulo 5. dif. Uerecundia est pars omnis honesti consilii tutela solemnium officiorum magistra innocentie: cara proximis: accepta alienis: omni loco omni tempore: fauorabilem pre se referrens vultum.

Statius thebaidos libro 9. Nec habent extrema pudorem.

Cato capitulo i. Uerecundiam serua.

Cassiodorus de amicitia capitulo 22. Generosus animus nil magis erubescit quam petere.

Gregorius in pastorali capitulo 56. Plerunque culpa dum absconditur effugatur: quia dum mens erubescit videri quod tamen esse non metuit erubescit quandoque esse quod fugit videri.

Commented [CN28]: fol.123va

Prouerbia vulgaria. Coruo carogna non laxa per vergogna.

#### De timore: Rubrica 10

Iob hystoria capitulo 2. Timor quem timebam euenit mihi: et quod verebar accidit.

Salomon in prouerbiis capitulo 14. Sapiens timet et declinat a malo. Stultus transilit et confidit. 24. capitulo. Time dominum et regem. 28. capitulo. Beatus homo qui semper est pauidus: qui vero mentis est dure corrueit in malum. Idem in ecclesiastice capitulo 8. Quia non profertur cito contra malos sententia: absque vilo timore filii hominum perpetrant mala.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. ad finem. Decet quidem formidatum esse malis vite exitium virtuosus vero ignominiam vite.

**Aristoteles** rethoricorum libro 2. capitulo 5. Impossibile est simul timere et irasci. 6. capitulo. Nullus qui timet amat. 7. capitulo. Timor est tristitia quedam vel turbatio ex fantasia futuri mali: aut corruptiui aut contristatiui. Omnia timenda terribilia sunt: quecunque si peccauerit corrigi non contingit. Timor est tristitia cum expectatione patiendi corruptiuam passionem aliquam. Timor consiliatiuos facit. 16. capitulo. Nullus iratus timet. Senes formidolosi sunt et omnia pertimentes. contrarie enim dispositionis iuuenibus. in frigidati enim sunt. hi autem calidi: quare viam preparauit senectus formidini. etenim in frigidatio quedam est. Idem ethicorum libro 2. capitulo 2. Qui omnia timet et fugit et nihil substinet: timidus efficitur. Libro 4. capitulo 4. Latere timidi est. 10. capitulo et finali. Mortem timentes palescunt. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 4. Mensurati timores augent fortitudinem. Idem hyconomicorum libro 3. et finali. Duplex est species timoris: alia quidem est verecundia ex pudore facta: qua vtuntur pudici filii ad patres et ciues compositi ad presides bonos: Alia vero species cum inimicitia et odio: sicut serui ad dominos et ciues ad tyrannos iniuriosos et iniquos.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 18. Homo sapiens in omnibus metuit.

Uirgilius eneide libro 4. circa principio. Degeneres animos timor arguit.

Tullius tusculanarum questionum libro 2. Qui quod mutari non potest metuit: is viuere animo quieto nullo modo potest. Idem in oratione pro marco marcello. Si in altero peccandum sit: malle m videri magis timidus quam parum prudens.

Ouidius epistolarum 13. epistola. Spes bona sollicito victa timore cadit. / Nos anxius omnia cogit: / Que possunt fieri facta putare timor. Epistola 14. Uires subtrahit ipse timor. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Mens semper quod timet esse putat. **Idem** sine titulo seu amorum libro 2. epistola 12. Cadit ira metu. Idem de tristibus libro i. epistola i. Nec procul a stabulis audet discedere: si qua / Excussa est auidi dentibus agna lupi. Idem methamorphosis libro 4. Timidi est optare vocem. Idem de fastis libro 3. Solicite mentes speque metuque pauent. Idem de ponto libro 2. epistola 2. Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales: / Audet ad humanos fessa venire sinus. Epistola 3. Tranquillitas et naufragus horret aquas / Qui semel est Iesus fallaci piscis ab hamo. / Omnibus vnca cibis era subesse putat. / Sepe canem visum longe fugit agna: lupumque / Credit et ipsa suam nesciat vitat opem. / Si volucris capte dat sors euadere posse. /

Commented [CN29]: fol.123vb

Commented [CN30]: fol.124ra

Partibus in cunctis esse timet laqueum. / Membra reformidant: mollem quoque saucia tactum /  
Unaque sollicitus incitat vmbra metum. / Res timida est omnis miser.

Iohannes apostolus et euangelista epistola vnica capitulo 4. Timor non est in charitate. Timor  
penam auget.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Prona est timori semper in peius fides. Idem de  
naturalibus questionibus libro 5. Si vultis nihil timere cogitate omnia timenda. Ex insolito  
formido maior est. Idem de moribus. Stultum est timere quod vitare non possis. Idem de remediis  
fortuitorum capitulo 2. Stultum est timere quod vitari non possis. Idem in prouerbiis. Inimicum  
quamuis humilem docti est metuere.

Lucanus libro 3. Non satis est muris latebras quesisse pauoris. Libro. Timeatque furentes / Et  
mortis faciles animos. Libro 5. Sola tibi causa est hec iusta timoris. / Uectorem non nosse tuum.  
Libro 6. Degeneres trepidant animi peioraque versant. / Mens dubiis percussa pauet: rursusque  
parata est. / Ceteros ferre metus. Libro 8. **Semper** metuet quem seua pudebunt.

Commented [CN31]: fol.124rb

Statius thebiados libro 2. O semper timidum scelus. Libro 2. Pessimus in dubiis augur timor.  
Libro 7. Socii pacem fecere timores. Libro 10. Dat vires nimium timor.

Lex digestorum titulo quod metus causa etc. l. i. Metus est instantis vel futuri periculi causa  
mentis trepidatio.

Uegetius de re militari titulo i. Nemo facere timuit qui se bene didicisse confidit. 3. titulo. Minus  
mortem timet qui minus delictarum nouit in vita.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 7. Continuatus timor non sinit esse felicem.

Cassiodorus epistolarum libro 11. epistola 8. Semper metuit iniusta presumptio. 9. epistola. Cur  
facitis que mox timere positis. In experto potestas trahit potius ad timorem. 20. epistola. Non est  
paruum tormentum aduersum aliquid formidare venturum: dum semper grauius estimatur  
emergere quod timetur.

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 17. Timor semper emendat. Timor expellit peccatum.  
Timor reprimat vicium. Timor cautum facit hominem atque sollicitum.

Uersificator fabularum esopi 26. fabula. Sepe gerit nimios causa pusilanimis. Fabula 19. Sic  
timeat quicumque timet: ne mole timoris / Sepe careat: grauis est spe fugiente timor.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 34. Accipitris volucer elapsus ab vngue feroci /  
Anceps in cunctis hunc timet esse locis.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 6. Coniectat mala queque metus: metuenda  
prophetat. / Et dubiis rebus deteriora canit. Idem de hystoria tobie capitulo 15. Timor in dubiis  
deteriora canit.

Gaufridus in poetria capitulo 30. Si timor incuruet mentem: simulatio vultum / Erigat: et clypeo  
vultus succurre timori. / Ut si mens timeat facies velit ipsa timeri. / Immo magis sperare velis:

pigeatque potentem. / **Uulgari** parere vultu: si posse sit: artum / Dillates animum. si corpus debile: mens sit / Fortis: et exiguas vires supplere memento.

Commented [CN32]: fol.124va

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 7. Res est sancta timor: reprobos ligat: arcet iniquos. / Ad frugem vite dans melioris eos.

Prouerbia vulgaria. Scota sopia ensora. / Donna casta non teme camarera bagassa.

#### De audacia: Rubrica 11

Plato in menone vltra medio. Quotiens absque mente audeat homo: leditur: quotiens vero cum mente proficitur.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 8. Ausibile contrarium est timendo. quare est spes cum fantasia salutarium vt prope existentium. Ausiui sunt qui sepe inciderint periculis et euaserint. Ausium est ira. 16. capitulo. Iuuenes viriliores sunt: animosi etenim et bone spei: quorum hoc quidem non timere: hoc autem audere facit: neque enim iratus vllus iratus timet: sperare bonum aliquod ausibile est. Idem polyticorum libro 5. capitulo 7. Uirilitalis potentiam habens audacia est.

Uirgilius eneide libro 10. prope principium. Audaces fortuna iuuat.

Oratius in sermonibus libro 2. sermone 3. Est genus vnum. / Stultitie nihilum metuenda timentis vt ignes: / Ut rupes fluuiosque in campo obstare queratur. / Alterum et huic varium et nihilo constantius ignes / Per medios fluuiosque mentis.

Tullius tusculanarum questionum libro 2. Profunda voce omne corpus intenditur: venitque plaga vehementior.

Ouidius de arte amandi libro i. Audacem sorsque venusque iuuantur. Idem methamorphosis libro 10. In audaces non est audacia tuta. / Audentes deus ipse iuuat. Idem de fastis libro 2. Audentes sorsque metusque iuuat.

Seneca de naturalibus questionibus libro 3. Nullus perniciosior hostis est quam quem audacem angustie faciunt: longe violentius semper ex **necessitate** quam ex virtute cor agitur: aut certe paria conantur animus magnus et perditus. Idem in prouerbiis. In rebus dubiis multum valet audacia.

Commented [CN33]: fol.124vb

Lucanus libro 3. Nescit plebs ieiunia timere. Libro 6. Ad dubios pauci presumpto robore: casus / Spemque metusque ferunt.

Ualerius maximus libro 6. titulo libere dicta aut facta. Priuerno capto interfectisque qui id oppidum ad rebellandum incitauerant: senatus indignatione accensus consilium agitabat quidnam sibi de reliquis quoque priuernatibus esset faciendum. Ancipiti igitur casu salus eorum fluctuabat: eodem tempore et victoribus et iratis subiecta. Ceterum cum auxilium vnicum in precibus restare animaduertent: ingenui italici sanguinis obliuisci non potuerunt. princeps enim eorum in curia interrogatus quam penam mererentur: respondit: quam mererentur qui se dignos

libertate iudicantes arma sumpserunt exasperatosque patrum conscriptorum animos verbis inflammauerunt. Sed plaustius consul fauens priuernatum cause regressum animoso eius dicto obtulit quesiuitque qualem cum eis pacem romani habituri essent impunitate donata. At is constantissimo vultu: si bonam dederitis inquit perpetuam. si malam non diuturnam. Qua voce perfectum est vt victis non solum venia: sed etiam ius et beneficium nostre ciuitatis daretur. Mulier quedam a phylippo rege temulento immerentem damnata: prouoco rem ad phylippum inquit: sed sobrium excussit crapulam ossitanti: ac presentis animi ebrium respicere causaque diligentius inspecta iustiozem sententiam ferre coegit. Syracusis mulier quedam vltime senectutis omnibus dionysii tyranni exigitium propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera votis expetentibus sola quotidie matutino tempore deos vt incolumis ac sibi superstes orabat. esset. Quod vbi is cognouit non debitam sibi admiratus beniuolentiam accersit eam: et quid ita hoc aut quo merito suo faceret interrogauit. Tum illa: certa est inquit ratio propositi mei. puellam enim cum grauem tyrannum haberemus carere ego cupiebam: quo interfecto aliquanto deterior arcem occupauit: eius quoque finiri dominationem magni existimabam. tertium te superioribus importuniozem habere cepimus rectorem. Itaque ne si tu fueris absumptus deterior in locum tuum succedat caput meum pro tua salute deuoueo. Tam facetam audaciam punire dionysius erubuit.

Stattius thebaidos libro 8. Iam clypeus clypeis: verbo ne repellitur verbo. / Ense minax ensis: pede pes: et cuspidem cuspidem. Libro 10. Fron ingentibus ausis / Rara comes.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 3. Eris magnanimus si pericula nec appetas vt temerarius nec formides vt timidus.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 2. Audentes facit homines fiducia sui. Se non patitur oculere quem precipit natura prodire.

Uersificator fabularum esopi 27. fabula. Audet in audacem timidus: fortique minatur / Debilis: audendi cum videt esse locum.

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. Dionydes pirata ab alexandro rege apprehensus: interrogatusque quid ei videretur quod mare haberet infestum: libera contumacia quid tibi inquit vt tu orbem terrarum. Sed quia id ego vno nauigio facio latro vocor: quia tu magna classe diceris imperator. Si solus captus sit alexander latro erit. si ad nutum dionydis famulentur populi erit dionydes imperator.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 42. Audax audacis vim cohibere solet.

#### De temeritate: Rubrica 12

Tullius rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 21. Temeritas est cum inconsiderata dolorum perpeffione gladiatoria periculorum susceptio.

Seneca tragediarum in agamenone capitulo 3. Certa est temeritas que petit casum ducem. Idem in epistolis ad lucillum libro 15. epistola 4. Temeritas est damnare quod nescias.